

Tertius, abstinentia a saeviis.

Sed quia sunt quedam scelerā, quae maxime obstant quominus imprecatione Deus postulationi nostra concedat, ut cædes et illata vis : manus abstinentia sunt ab hac crudelitate et violentia de quo facinore sic Isaiae ore loquitur Deus : (a) Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestrae sanguine plenæ sunt.

Quartus, fugienda ira.

Fugienda est ira ac dissidium, quae magnopere citiam impediunt ne preces audiatur : de quibus est illud Apostoli : (b) Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione.

Quintus, injuriarum oblivio.

Videndum est præterea, ne nos implacabiles cuiquam præbeamus in injurya : nam sic affecti Deum precibus adducere non poterimus ut nobis ignoscat. (c) Cum enim stabitis, inquit ipse, ad orandum, dimittite, si quid habetis : et (d) si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.

Sextus, opera misericordiz.

Cavendum quoque est ne duri simus et inhumani egentibus : nam in ejusmodi homines illud dictum est : (e) Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudiatur.

(a) Isa. 4, 15. — (b) 1 Tim. 2, 8. — (c) Marc. 11, 25. —
(d) Matth. 6, 15. — (e) Pro. 21, 15.

Septimus, superbia reprimenda.

Quid dicemus de superbia? qua quantopere Deum offendat, testis est illa vox : (a) Deus superbus resistit, humilibus autem dat gratiam.

Octavus, verbum Dei audiendum.

Quid de contemptione divinorum oraculorum? in quam exstat illud Salomonis : (b) Qui declinatus suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.

Nota. Quo tamen loco non excluditur deprecatio facte injurie: non cedis, non irascundie, non illiberalitatis in pauperes, non superbie, non displicientia divinae orationis, non denique reliquorum scelerum, si ignoscendi venia petatur.

Nonus, fiducia habenda.

Est vero ad hanc quoque preparationem animi fides necessaria: qua si desit, neque de summi Patris omnipotentia, neque de illius misericordia, unde tamen orantis fiducia oritur, habetur cognitione: quemadmodum docuit ipse Christus Dominus: (c) Omnia, inquit, quæcumque petieritis in oratione, credentes, accipietis. De hujusmodi fide scribit sanctus Augustinus (d) de verbis Domini: Si fides deficit, oratio periret. Caput igitur est ad rite orandum, quod jam dictum est, ut fide firmi ac fixi simus: quod Apostolus ex contrario ostendit: (e) Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? Itaque credamus oportet, ut et orare possimus, et ne nos fides ipsa deficiat, qua salutariter oramus. Fides enim est, quæ preces fundit: preces faciunt, ut omni dubitatione sublata, sta-

(a) Jac. 4, 6. 1 Petr. 5, 5. — (b) Prov. 28, 9. — (c) Matth. 21, 22. — (d) Epist. 10, sermon. 56. — (e) Rom. 10, 14.

bilis ac fide sit fides. In hanc sententiam (*a*) sanctus hortabatur Ignatius eos qui ad Deum adirent oratur: Noli dubio esse animo in oratione: beatus est qui non dubitaverit. Quare ad impetrandum quod velimus a Deo maximum pondus affert fides et certa spes impetrandi, quod monet sanctus Jacobus: (*b*) Postule in fide, nihil hastans.

Unde fiducia excitanda.

II. Multa sunt quibus nos confidere oportet in hoc officio precatiorum.

Primo. — Est ipsa Dei in nos perfecta voluntas ac benignitas, cum jubet nos se patrem appellare, ut ejus nos esse filios intelligamus.

Secundo. — Est prope infinitus numerus eorum qui Deum exoraverunt.

Tertio. — Est summus ille deprecator, qui nobis semper presto est, Christus Dominus, de quo sic est apud S. Joannem: (*c*) Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: item Paulus apostolus, (*d*) Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis; item ad Timotheum: (*e*) Unus enim Deus, unus et mediator Dei, et hominum, homo Christus Jesus; tum ad Hebreos: (*f*) Unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret et fidelis Pontifex ad Deum. Quare etsi nos indigni sumus qui impetreremus, tamen optimi dignitate interpretis ac deprecatoris Jesu Christi sperare, et magnopere confidere debemus, nobis omnia, que

(*a*) Ignat. Epist. 10 ad Hieron. — (*b*) Jac. 1, 6. — (*c*) 1 Joan. 2, 1. — (*d*) Rom. 8, 34. — (*e*) 1 Tim. 2, 5. — (*f*) Heb. 2, 17.

per illum rite petierimus, concessurum Deum.

Cuarto. — Denique nostræ auctor est precatio nis Spiritus sanctus, quo duce preces nostras audire necesse est. (*a*) Accepimus enim Spiritum adoptionis filiorum Dei in quo clamamus, Abba Pater, qui quidem Spiritus infirmitatem, qui inscitiam nostram adjuvat in hoc orandi munere, imo vero, inquit, ipse postulat pro nobis gemitis inenarrabilibus.

Quinto. — Quod si qui titubant interdum, nec se satis esse firmos in fide sentiunt, utantur illa voce Apostolorum: (*b*) Domine, adauge nobis fidem, et cæci illius: (*c*) Adjuva incredulitatem meam.

Sexto. — Sed tum maxime et fide et spe vigentes, omnia a Deo optata consequemur, cum ad ipsius Dei legem ac voluntatem, omnem mentem, actionem et orationem nostram conformabimus: (*d*) Si manseritis enim, inquit, in me, et verba mea in vobis manserint, quocumque volueritis, petetis, et fieri vobis: quanquam ad hanc impetrandi ab eo omnia facilitatem, in primis necessaria est, ut ante diximus, oblivio injuriarum, et benevolentia ac beneficia voluntas in proximos.

QUÆ RATIO IN ORANDO REQUIRITUR.

Oratio nisi recte fiat, non prodest.

I. Maxime autem refert quomodo sacris precibus utamur, nam etsi precatio bonum est salutare; tamen, nisi recte adhibeatur, minime prodest: quod enim petimus, sepe non assequimur, ut sanctus inquit Jacobus (*e*), ob eam causam, quia male petimus. Ergo docebunt parochi fide-

(*a*) Rom. 8, 43. — (*b*) Luc. 17, 5. — (*c*) Marc. 9, 24. — (*d*) Joan. 15, 7. — (*e*) Jac. 4, 3.

lem populum, qua sit optima ratio bene petendi, et privatim ac publice orandi, que precepta christiana orationis tradita sunt ex Christi Domini disciplina.

Orandum est in spiritu et veritate.

(l). Est igitur (a) orandum in spiritu et veritate, nam cœlestis Pater tales querit qui adorent eum in spiritu et veritate. *Dé hac ratione orandi in spiritu et veritate, vide Cyrillum Alexandr. per 17 libros integros. Item Dív. Thom. 2, 1, quest. 85, art. 12.*

Quis orat in spiritu et veritate.

III. Orat autem eo modo, qui intimum ac flagrans animi studium adhibet, a qua spirituali precandi ratione vocalem non excludimus: verum tamen principatum iure tribendum ducimus illi, quæ a vehementi animo proficiuntur, obsecrationi, quam Deus, cui patent occultæ hominum cogitationes, audit, etiamsi non ore proferatur.

Exemplum. — Audivit Anna (b) ejus, qua fuit mater Samuelis, intimas preces, de qua illud legimus, flentem orasse, et tantum labia moventer.

Aliud. Oravit hoc modo David, inquit enim : (c) Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, Iujusmodi exempla in divinis Libris passim legendibus occurruunt.

Oratio vocalis, utilis et necessaria.

IV. Habet autem vocalis oratio propriam utilitatem et necessitatem: nam incendit animi studium et religionem orationis inflamat: quod ad Probam scripsit sanctus Augustinus hoc modo c. 8, 9, 10: Nonnunquam verbis et aliis signis ad

augendum desiderium sanctum nos ipsi, acrius excitamus. Cogimur interdum vehementi animi cupiditate et pietate, verbis efferre sententiam: nam exultante animo lætitia, par etiam est lingua exultare; et vere decet nos cumulatum illud sacrificium facere et animæ et corporis, quem Apostolorum orandi morem fuisse, ex Actis et ex Apostolo multis locis cognoscimus.

Oratio privata et publica.

V. Sed quoniam duplex precandi ratio est, privata et publica, private orationis pronuntiatione utimur, ut intimum studium et pietatem adjuvet: in publica, que ad incitandam fidelis populi religionem instituta est, certis statisque temporibus linguae officio supersedenti nullo modo potest.

Orare spiritu proprio christianorum.

VI. Hanc vero spiritu orandi consuetudinem, proprium christianorum hominum, infideles minime colunt, de quibus ita licet Christum Dominum loquentem audire: (a) Orantes nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt: putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur: nolite ergo assimilari eis: scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum.

Quid per loquacitatem in oratione prohibeatur.

VII. Cum autem prohibeat loquacitatem, longas tamen preces, quæ a vehementi ac diuturno animi studio proficiuntur, tantum abest ut rejiciat, ut etiam suo exemplo nos ad eam rationem cohortetur: qui (b) non modo noctes in preicatione

(a) Joan. 4, 25. — (b) 1 Reg. 1, 16. — (c) Ps. 26, 8.

(a) Matth. 6, 7. — (b) Luc. 6, 12.

(c) John. 16, 25. — (d) 1 Th. 18, 13. — (e) Ephes. 1, 16.

consumpsit, sed (a) ter eumdem sermonem repetit. Tantum igitur statuendum est inani verborum sono minime exorari Deum. *Vide August. Epist. 121, ad Probam, c. 9.*

Hypocitarum preces rejicit Deus.

VIII. Nec vero ex animo orant hypocrita, a quorum consuetudine nos deterret Christus Dominus in hanc sententiam: Cum oratis, non eritis sicut hypocrita, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus: Amen dico vobis, reeperunt mercedem suam.

Quid sit intra cubiculum orare.

IX. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito: et Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi. Cubiculum, quod hoc loco dicitur, ad cor hominis referri potest: quod non satis est ingredi, sed præterea oculi oportet, ne quid irrumpat, vel influat in animas extrinsecus, quo preceptionis integritas violari possit: tum enim celestis Pater, qui omnium mentes et occultationes cogitationes maxime percipit, orantis postulationi concedit.

Orandum est assidue.

X. Requirit præterea oratio assiduitatem, quem quantum vim habeat, judicis illius exemplo, Dei Filius ostendit (b), qui cum nec timeret Deum nec hominem revereretur, virtus assiduitate ac diligentia viduae, ejus postulationi concessit; itaque assidue Deo preces faciendæ sunt.

Nota. Nec imitandi illi, qui semel aut iterum orantes, nisi quod petunt, impetrarint, in ora-

(a) Matth. 26, 44. — (b) Luc. 18, 2.

tione defatigantur: nulla enim hujus officii lastitudo esse debet, quod nos Christi Domini, et Apostoli docet auctoritas: quod si interdum voluntas in eo defecerit, precibus a Deo petamus perseverandi vim.

Orandum est Pater celestis per Christum.

XI. Vultetiam Dei Filius orationem nostram ad Patrem suo nomine pervenire: qua ejus merito et gratia, predeatoris in pondus assequitur ut a celesti Patre audiatur: est enim illa vox apud sanctum Joannem: (a) Amen, amen, dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; usque modo non petitis quidquam in nomine meo: Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum; et iterum: (b) Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.

Ferventer orandum.

XII. Imitemur ardens sanctorum hominum studium, quod in orando adhibebant. Gratiarum autem actionem cum prectione jungamus, Apostolorum exemplo, qui hanc consuetudinem perpetuo servaverunt, quemadmodum apud Apostolum licet videre (c).

Ut oratio sit efficax, ei adde jejunium.

XIII. Jejunium vero et eleemosynam ad orationem adhibeamus. Jejunium quidem certe maxime est cum oratione sociatum: nam qui cibo et potu sunt onusti, horum mens oppressa est sic, ut neque Deum intueri, neque quid sibi velit oratio cogitare possint. *Vide hac de re Aug. in Psalm. 42 in fine et lib. De perfecta justitia, resp. 17.* Item sancti Leonis serm. 1 de Jejunio septimi mensis.

(a) Joan. 16, 23. — (b) Ib. 14, 14. — (c) Ephes. 1, 16, etc.

Petr. Chysost. serm. 45. Bern. in Sent. sententia 11.

Eleemosyna orationi adjungenda.

XIV. Sequitur eleemosyna, quæ magnam et ipsa cum oratione societatem habet: Quis enim, cui facultas sit benigne faciendi ei qui aliena misericordia vivat, nec opituletur proximo et fratri suo, se charitate præditum dicere audeat? aut quo ore is, qui expers sit charitatis, Dei auxilium implorabit? nisi cum peccati veniam precatur, simul et a Deo suppliciter postulat charitatem.

Tria adversus peccatum remedia.

XV. Quare divinitus factum est, ut saluti hominum tripli hoc remedio subveniretur: cum enim peccando vel offendamus Deum, vel proximos violens, vel nos ipsos iudamus, sacris precibus placatum reddimus Deum, eleemosyna redimimus hominum offendiones, jejunio proprias vitæ sordes eluimus: et quamquam singula pro sint ad omnium scelerum genera, tamen proprie singulis iis peccatis quæ dicimus, apposita et accommodata sunt.

ORATIO DOMINICA.

PATER NOSTER QUI ES IN CELIS.

Orationis dominicæ proæmium.

I. Cum hæc formula christiana precatio nis a Jesu Christo tradita, eam habeat vim, ut antequam ad preces postulationesque veniamus, certis verbis loco proæmii nobis utendum sit, quibus pie ad Deum accedentes, fidentius etiam id facere possimus, parochi officium est illa distinete dilucideque declarare, ut alacrior plus populus ad preces audeat, seque cum Patre Deo acturum intelligat. *Orationem dominicam explicant Tertulianus*

lib. De Orat. Cyprian. in libro de Oratione dominica Cyril. Hierosol. Catech. 5. Mystag. Chrysostom. de Orat. domin. Hieronym. Theoph. Euthym. in c. 6. Marc. Ambros. lib. 4 de Sacrement. c. 4. August. Epist. 121, ad Probam. Item de Serm. Domini in monte, lib. 2, c. 5, 6, 7, 8, 9 et hom. 42; item de Bono perseverantie, c. 2 et seq. et serm. 126, 135 et 182, de Tempore. Item Cassian. col. 7. c. 18, 19, 20, 21. Div. Thom. in opuscul. et 2, 2, quæst. 83, art 9.

Nota. Proœmium autem, si species verba, brevissimum est: si res æstimes, gravissimum mysteriumque plenissimum.

Deus cur appellatur Pater.

II. Ac prima quidem vox qua Dei jussu et institutione utimur in hac precatio ne, est pater.

Prima ratio. — Nam etsi Salvator noster dominum hanc orationem prætexere potuit aliquo verbo, quod plus majestatis habere, exempli causa Creatoris aut Domini: tamen haec omisit quæ timorem simul nobis afferre possent.

Secunda. — Illud autem adhibuit quod orantibus et aliquid a Deo petentibus, amorem fiduciamque conciliat; quid enim jucundius est Patris nomine, quod indulgentiam sonat et charitatem? *Vide sandrum Leon. serm. 6. de Nat. Domini. Thom. 1 p. q. 53, art. 1.*

Patris nomen cur Deo conveniat.

III. Quibus autem rationibus Patris nomen Deo conveniat, suppeditabit facultas docendi fidem populum ex locis creationis, gubernationis ac redemptionis.

Prima ratio. — Num cum Deus hominem creaverit ad imaginem suam, nec illam cæteris animalibus impertiverit, ex hoc singulari munere

quo hominem ornavit, jure omnium hominum, nee fidelium modo, sed etiam infidelium, Pater in divinis Scripturis appellatur.

Secunda ratio. — A gubernatione vero sumere poterit argumentum, quod prospiciendo et consulendo utilitati hominum, praecipuo quodam curae et providentiae modo nobis prestat paternam charitatem.

De ministris divinæ gubernationis.

IV. Sed ut in hujus explicatione argumenti paternam Dei de hominibus curam melius agnoscat, de custodia Angelorum, in quorum tutela sunt homines, aliiquid dicendum videtur.

Angelus custos cuilibet datur a Deo.

V. Est enim Dei providentia datum hoc negotium Angelis, ut custodiant humanum genus, singulis hominibus presto sint, ne gravius aliquod detrimentum accipiant. Nam ut parentes, si infesta et periculosa via filiis iter faciendum sit, custodes adhibent et periculorum adjutores: sic celestis Parens in hoc itinere quod ad celestem patriam contendimus, singulis nobis praesposuit Angelos, quorum ope ac diligentia tecti, furtim paratos ab hostibus laqueos vitaremus, et factos in nos horribiles impetus repellermus, iisque ducibus rectum iter teneremus, ne objectus aliquis error a fallaci adversario, nos de via posset deducere que ducit in cœlum.

Custodiz Angelorum utilitas.

VI. Quam vero habeat utilitatem hæc de hominibus Dei cura ac providentia singularis, cuius munus et administratio mandata est Angelis, quorum inter Deum et homines media est et interjecta natura, patet exemplis, quorum copiam suppeditant divina Littere, quæ testantur sæpe

Dei benignitate factum esse ut, inspectantibus hominibus, Angeli mirabiles res efficerent: quibus moneremur innumerabilia ejus generis, que sub oculos non caderent, a custodibus nostræ salutis Angelis effici utiliter ac salutariter.

Beneficia Raphaelis erga Tobiam.

VII. Raphael Angelus, (a) Tobiae comes et dux itineris divinitus adjunctus, (b) illum duxit et redixit incolumem.

Cui et adjumento fuit ne (c) ab immanni pisce devoraretur, et quanta esset in ejus piscis jecone, felle et corde vis, demonstravit.

Ille dæmonium expulit, e usque impedita et colligata potestate, ne Tobiae noceret, effecit.

Ille verum et legitimum matrimonii jus et usum adolescentem edocuit.

Ille Tobiae (d) patri oculis captio lumina restituit.

Beneficia Angeli custodis erga D. Petrum.

VIII. Angelus item ille principis Apostolorum liberator, uberen præbebit materiam ad erudendum plium gregem de admirabili fructu curæ custodieque Angelorum, cum demonstrabunt parochi Angelum carceris tenebras illustrantem, (e) et Petrum tacto ejus latere e somno excitantem, solventem catenas, dirumpentem vincula, monentem ut surgeret, seque sumptis caligis et reliquo vestitu sequeretur: cum docebunt ab eodem Angelo Petrum per custodias libere eductum e carcere et aperta denique janua in tuto collocatum.

Hæc exempla referre utile.

IX. Hujus generis exemplorum, quemadmodum

(a) Tob. 5, 6. — (b) Ib. 12. — (c) Ib. 6. — (d) Tob. 12.
— (e) Act. 12.

diximus, referta est sanctarum Litterarum historia, quibus intelligimus quanta sit vis beneficiorum quae confert in homines Deus, Angelis interpretibus et internuntiis, nec solum certa aliqua et privata de re missis, sed a primo ortu, nostra curae prepositis, et in singulorum hominum salutis presidio collocatis.

Doctrina de custodia Angelorum utilitas.

X. Hanc doctrinæ diligentiam illa utilitas conseruet, ut audientium mentes ergantur, et ad agnoscendam et venerandam Dei paternam de se curam ac providentiam excitentur. *Si de Angelum creatione et excellentia vis agere, redi ad primum Symboli articulum supra, p. 28.*

Divitiae benicitatis Dei in nos quantæ.

XI. Commendabili autem hoc loco parochus in primis prædicabit divitias benicitatis Dei erga genus humanum, quem cum a primo parente nostri generis et peccati usque ad hanc diem offendierimus flagitiis ac sceleribus innumeralibus; retinet tamen in nos charitatem, neque precipuum illam de nobis curam deponit.

Dicere Deum oblivisci hominum grande malum.

XII. Quem si quis existimat hominum obliisci, amens est, et in Deum jacit indignissimam contumeliam. Irascitur Israel Deus propter ejus gentis blasphemiam, que se arbitratur colesti ope desertum esse. Est enim in Exodo (a) : Teneraverunt Dominum dientes : Este Deus in nobis, an non? et apud Ezechiem : (b) Succenset eidem populo Deus, quod dixerat : Non videt

(a) Exod. 17, 7. — (b) Ezech. 6, 12.

Dominus nos, dereliquit Dominus nos, dereliquit Dominus terram. Ergo fideles his auctoribus a nefaria illa opinione deterrendi sunt, fieri posse, ut Deum capiat hominum oblivio.

Nota. In quam sententiam audire licet consequentem de Deo apud Isaiam Israeliticum populum, contraque Deum stultam ejus querimoniam benigna similitudine repellentem. Est enim ibi : (a) Dicit Sion : Dereliquit me Dominus, et Dominus oblitus est mei ; cui Deus : Numquid obliisci potest mulier infantern suum, ut non misereatur filii uteri sui ? etsi illa oblitera fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te.

Deus nunquam hominum obliisci probatur.

XIII. Quibus locis quanquam id liquido confirmatur, tamen ut penitus fidei populo persuadetur nullum posse tempus accidere, quo deponat Deus hominum memoriam, quo eis non tribuat paterna charitatis officia : parochi rem clarissimo primorum hominum exemplo comprobant, quos post neglectum violatumque Dei iussum, cum acerbis accusatos, et horribili illa sententia condemnatos audis : (b) Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vita tua; spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terre : cum vides e paradise (c) expulso, et, ut omnis redditus spes adimeretur, cum in aditu paradisi collocatum legis Cherubim flammum, tenentem ignem et versatilem gladium, cum ab ulciscente suam injuriam Deo illos intimes et externis molestiis conflictatos intelligis.

Attende.

Annon actuum de homine putes? aut non credas

(a) Isa. 49, 14. — (b) Gen. 5, 17. — (c) Gen. 5, 25 et 24.

non modo divino illum auxilio nudatum, sed etiam cuivis injuriae propositum? Verumtamen in tantis divinae ire et ultionis indicis oborta est lux quedam Dei in eos charitatis: Fecit enim, (a) inquit, Dominus Deus, Adam et uxori eius tunicas pelliceas, et induit eos: quod maximum fuit argumentum, hominibus nullo unquam tempore defuturum Deum.

Nulla hominum injuria Dei amor exauritur.

XIV. Hujs etiam sententiae vim, non exauriri Dei amorem ullam hominum injuria, David expressit illis verbis: (b) Numquid continebit Deus in ira sua misericordias suas? Hanc Habacuc Deum affatus exposuit dum inquit: (c) Cum iratus fueris, misericordiae recordaberis. Hanc sic Michæas aperuit: (d) quis, Deus, similis tui? qui auferis iniuriam, et transfers peccatum reliquiarum hæreditatis tua: non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est.

Deus subvenit in extremis.

XV. Omnino res ita se habet, cum maxime perditos nos, et Dei præsidio spoliatos arbitramur, tum maxime pro immensa sua bonitate nos querit et curat Deus: sustinet enim in ira gladium iustitiae, nec cessat effundere inexhaustos misericordia thesauros.

Quam recte Deus vocetur Pater iterum ostenditur.

XVI. Magnam igitur vim habent ad declarandam præcipuam Dei rationem in amando tuendoque hominum genere, creatio et gubernatio. Sed tamen illud opus redimendi hominem sic eminet inter

(a) Gen. 3, 22. — (b) Ps. 76, 10. — (c) Hab. 5, 2. —
(d) Mich. 7, 18.

duo superiora, ut beneficentissimus Deus parens-que noster summam in nos benignitatem tertio hoc beneficio cumulatam illustrarit.

Cur filii Dei nominemur et simus.

XVII. Quare tradet spiritualibus filiis parochus et assidue eorum auribus inculcat hanc prestantissimam Dei erga nos charitatem, ut intelligent se, quia redempti sint, admirabile in modum Dei filios evasisse: Dedit enim, (a) inquit Joannes, eis potestatem filios Dei fieri, et ex Deo nati sunt.

Nota. Quam ob causam baptismus, quod primum redempcionis pignus et monumentum habemus, sacramentum regenerationis dicitur: inde enim nascimur Dei filii. Nam inquit ipse Dominus: (b) Quod natum est ex spiritu, spiritus est; et: Oportet vos nasci denuo. Item Petrus Apostolus: (c) Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi.

Beneficia redempcionis quanta.

XVIII. Hujs pondere redempcionis et Spiritum sanctum accepimus, et Dei gratia dignati sumus. Quo munere Dei filii adoptamur, quemadmodum ad Romanos scripsit apostolus Paulus: (d) Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, pater. Cujus vim et effusaciam adoptionis explanat sanctus Joannes ad hunc modum: (e) Videte qualam charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.

Deo ut patri quid debemus.

XIX. His expositis, admonendus est fidelis po-

(a) Joan. 4, 12. — (b) Id. 5, 6. — (c) Petr. 1, 25. —
(d) Rom. 8, 15. — (e) 1 Joan. 5, 1.

pulus, quid ipse vicissim debeat amantissimo patri Deo, ut intelligat quem amorem ac pietatem, quam obedientiam ac venerationem Creatori, gubernatori ac redemptori praestare, qua spe ac fiducia illum invocare oporteat.

Gravis error extirpandus.

XX. Sed ad erudiendam inscitiam, dirigen-
damque sententias perversitatē eorum, si qui
tantummodo secundas res et prosperum vitæ
cursum argumento esse existimant, Deum conser-
vare nobis amorem suum, rebus autem adversis
et calamitatibus, cum a Deo exercemur, id esse
signum hostilis in nos animi, ac prorsus abali-
nate a nobis divine voluntatis.

Deus cum castigat, amat.

XXI. Demonstrandum erit cum (a) tangit nos manus Domini, minime id hostiliter facere Domi-
num, verum percutiendo sanare, et plagam a Deo
venientem esse medicinam. Castigat enim peccan-
tes, ut ea disciplina meliores faciat, et presenti
animadversione redimat ab exitio sempiterno.

Nam (b) visitat quidem in virga iniquitates
nostras, et in verberibus peccata nostra, misericordiam autem suam non auferit a nobis.

Dum castigat Deus, quid agendum.

XXII. Quare monendi sunt fideles, ut in ejus-
modi castigatione paternam Dei charitatem agno-
scant et illud patientissimi Job in memoria et in
ore habeant: (c) Ipse vulnerat, et medetur: per-
cutit, et manus ejus sanabunt; ut illud usurpent
quod sub persona Israeliticorum populi scripsit Jere-
mias: (d) Castigasti me, et eruditus sum, quasi

(a) Job. 19, 21. — (b) Ps. 88, 34. — (c) Job. 5, 18. —
(d) Jer. 31, 18.

juvenculus indomitus: converte me, et convertar,
quia tu Dominus Deus meus. Ut Tobiae exemplum
sibi proponant, qui cum in illa plaga cecitatis,
paternam Dei manum cadentem sensisset, exclam-
avit: (a) Benedico te, Domine Deus Israel! quia
tu castigasti me, et tu salvasti me.

In affectionibus non murmurandum.

XXIII. In quo maxime cavendum est fidelibus,
ne etiamsi quisvis incommodo affecti, quavis cala-
mitate afficti sint, Deum id ignorare existiment;
aut enim ipse: (b) Capillus de capite vestro non
peribit; immo vero se ipsi illo divini oraculo solatio
consolentur, quod in Apocalypsi dictum est: (c)
Ego quos amo, arguo et castigo; conquiescent
in Apostoli cohortatione ad Hebreos: (d) Fili mi!
noli negligere disciplinam Domini, neque fatigaris,
dum ab eo argueris; quem enim diligit Dominus,
castigat: flagellat autem omnem filium quem re-
cipit; quod si extra disciplinam estis, adulterini
estis et non filii: patres quidem carnis nostræ
eruditores habuimus, et reverebamur eos; non
multo magis obtemperabimus patri spirituum,
et vivemus.

A singulis cur Deus vocetur noster.

XXIV. Cum Patrem invocamus singuli etnostrum
appellamus, docemur, ex dono ac jure divinæ
adoptionis consequi necessario, ut fratres sint
fideles omnes, et inter se fraterne amare de-
beant: (e) Omnes enim, inquit, vos fratres estis,
unus est enim Pater vester qui in celis est. Quare
etiam in Epistolis fideles omnes Apostoli fratres
appellant.

(a) Tob. 11, 17. — (b) Luc. 21, 18. — (c) Apoc. 5, 19. —
(d) Heb. 12, 5. — (e) Matth. 23, 8.

Undenam simus fratres invicem et Christi.

XXV. Ex quo item conficitur illa consecutio necessaria, ut eadem adoptione Dei non solum inter se fidèles universi fraterna necessitudine conjungantur: sed quia homo est unigenitus dei Filius, fratres etiam ejus et nominentur, et sint: nam in Epistola ad Hebreos, cum de Filio Dei loqueretur, scriptis Apostolus: (a) Non confunditur fratres eos vocare, dicens: (b) Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: quod tanto ante David de Christo Domino predixerat. Ipse vero etiam Christus sic apud Evangelistam loquitur ad mulieres: (c) Ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galileam, ibi me videbunt.

Etiam in celo Christus est frater.

XXVI. Quod tum ab eo dictum esse constat, cum jam excitatus a mortuis immortalitatem esset consecutus, ne quis existimet fraternalm hanc cognationem ejus resurrectione et in celum ascensu dissolutam esse. Tantum enim abest ut hanc conjunctionem et charitatem Christi resurrectione diremerit, ut ex illa majestatis et gloriæ sede, tum, cum de omnibus omnis memoria hominibus judicabit fidelium minimos ab eo (d) fratum nomine appellandos acceperimus.

Cohæredes sumus Christi.

XXVII. Qui autem fieri potest ut Christi fratres non simus, cuius cohæredes (e) dicimur? Est enim primogenitus ipse, constitutus (f) hæres universorum, nos vero secundo loco geniti, cohæredes ejus, pro modo cœlestium donorum, pro ratione

(a) Heb. 2, 41.—(b) Psal. 21, 25.—(c) Matth. 28, 10.—
(d) Id. 25, 40.—(e) Rom. 8, 17.—(f) Heb. 1, 2.

charitatis, quam præbuerimus nos ministros et coadjutores Spiritus sancti.

Notæ præmonitionis.

Quo auctore ad virtutem, salutaresque actiones impellimur et incendimur, ut ejus freti gratia in certamen salutis fortiter descendamus, quo sapienter constanterque confecto decursoque hujus vite spatio justum coronas præmium capimus a caelesti parente, omnibus qui eundem cursum tenuerint constitutum. Non enim, ut ait Apostolus, (a) iniquus est Deus ut obliviscatur operis nostri et dilectionis.

Ex animo Deus vocandus est noster. Cur?

XXVIII. Quam vero hanc ex animo vocem noster proferre debeamus, sancti Chrysostomi sententia declaratur, qui Deum inquit libenter christianum audire, non solum pro se, sed pro altero deprecentem: quod pro se orare nature est, pro altero gratia; pro se necessitas cogit, pro altero fraterno charitas hortatur, quibus illa subjunxit.

Nota. Jucundior est Deo quam charitas fraterna commendat quam ea qua necessitate pronuntiatur. *Chrysost. hom. 14 operis imperfecti in Math.*

Admonitio magni momenti.

XXIX. In hac tanta materia salutaris orationis monere et hortari debet parochus omnes omnis etatis, generis, ordinis, ut communis hujus fraternali necessitudinis memores, comiter et fraterne se gerant, neque se aliis alii præferant insolentius.

Nota. Nam etsi in Ecclesia Dei diversi sunt officiorum gradus, tamen illa varietas graduum

(a) Heb. 6, 10.

et munera fraternalia necessitudinis conjunctio-
nem minime tollit.

Similitudo.

Quemadmodum in hominis corpore varius usus
et diversa functio membrorum nihil agit, quam-
obrem haec, vel illa corporis pars membra munus,
et nomen amittat.

Equalitas inter christianos.

XXX. Propone tibi eum qui regia sit potestate:
an is igitur, si fidelis est, frater non est omnium,
qui christianae fidei communione continentur?
Maxime quid ita? quia non est Deus alius is, ex
quo divites et reges nati sunt, ab eo a quo pau-
peres et qui in regum potestate sunt, exstiterunt:
sed unus Deus, et parens, et Dominus omnium.

Christianorum par nobilitas.

XXXI. Itaque una spiritualis ortus omnium no-
bilitas, una dignitas, unus splendor generis, cum
omnes ex eodem spirito, ex eodem fidei sacra-
mento nati simus filii Iei, et ejusdem hereditatis
coheredes. Nec vero aliud Christum Deum ha-
bent copiosi et potentes homines, aliud tenuiores
et infimi: non alii sacramentis sunt initiati, nec
aliam hereditatem regni celestis expectant,
Fratres sumus omnes, et, ut inquit Apostolus ad
Ephesios, (a) membra sumus corporis Christi, de
carne ejus et de ossibus ejus. Quod idem in Epi-
stola ad Galatas significat Apostolus: (b) Omnes
filii Dei estis per fidem in Christo Iesu: quicun-
que enim in Christo baptizati estis, Christum in-
duistis: non est Judaeus neque Graecus; non est
servus neque liber; non est masculus neque fe-

(a) Ephes. 5, 30. — (b) Gal. 5, 26.

mina: omnes enim vos unum estis in Christo
Iesu.

Hoc doctrina christianis saepius inculcanda.

XXXII. Hoc autem accurate versanda res est pa-
storibus animarum, et scienter illis in hac sen-
tentia commorandum: est enim accommodatus
locus non minus ad confirmandos et excitandos
inopes et abjectos homines, quam ad coercendam
deprimendamque arrogantiam locupletum atque
potentium. Cui hominum incommodo uti mede-
retur, urgetur Apostolus fraternali hanc charita-
tem, et inculcabit fidelium auribus.

Quo affectu recitari debeat PATER NOSTER.

XXXIII. Cum igitur has Deo preces facturus es,
christiane, memineris te tanquam filium ad Pa-
trem Deum accedere: itaque cum precationem
ordiris, et illud, Pater noster, pronuntias, cogita
quem in locum te summa Dei benignitas extulerit,
qui non ut servum ad Dominum adire invitum
ac timidum, sed ut ad patrem filium voluntarium
securumque confugere jussert.

Quanta pietate sit orandum.

XXXIV. Qua in memoria et cogitatione, quo vi-
cissim studio et pietate tibi orandum sit consi-
dera: danda enim est tibi opera, te ut tales
prebeas, qualis esse decet Dei filium: id est, ut
oratio et actiones tue non indigne sint divino
genere, quo te dignari voluit beneficentissimus
Deus. Ad hanc offici rationem nos Apostolus co-
hortatur, cum ait: (a) Estote ergo imitatores Dei,
sicut filii charissimi: ut vere de nobis dici pos-
sit, quod ipse Apostolus scripsit ad Thessalonici-
enses: (b) Omnes vos filii lucis estis et filii diei.

(a) Eph. 5, 1. — (b) 1 Thess. 5, 5.

Quomodo sit Deus ubique.

XXXV. *Qui es in cælis.* Constat inter omnes qui recte de Deo sentiunt, ubique locorum et gentium esse Deum, quod non ita intelligendum est, quasi ipse distributus in partes, una parte locum unum, alia alium occupet ac tueatur; nam Deus spiritus est, omnis expers divisionis. *Quis enim audeat* Deum tanquam in vestigio positum, loci aliquius finibus circumscribere, cum ipse de se dicat: *(a) Numquid non cœlum et terram ego impleo?*

Deus est ubique totus.

XXXVI. Quod rursus sic accipendum est, Deum cœlum ac terram, quæque cœlo ac terra comprehensa sunt, vi sua ac virtute complecti, non autem ipsum ullo loco contineri: adest enim rebus omnibus Deus, vel creans ipsas, vel conservans creatas, nulla regione, nullis finibus, vel circumscriptus, vel ita definitus, quominus et naturam et potestatem suam præsens ubique constitutus. *Quod beatus David expressit illis verbis:* *(b) Si ascendero in cœlum, tu illic es. August. lib. 1 Conf. c. 5. D. Thom. 1 p., q. 8, art. 2.*

Cur Deus in cœlo esse dicatur.

XXXVII. Verum etsi præsens adsit Deus in locis et rebus omnibus, nullis, ut diximus, terminis definitus, tamen in divinis Scripturis sæpe dicitur habere domicilium suum in cœlis.

Prima ratio. — Quod ideo factum videmus, quod cœli, quos suspicimur, sunt nobilissima mundi pars, iidemque manent incorrupti, præstantes vi, magnitudine ac pulchritudine cæteris corporibus, certisque ac stabilibus motibus prædicti.

(a) Jer. 25, 24. — (b) Psalm. 158, 8.

Secunda ratio. — Ergo ut excitaret hominum animos Deus ad contemplandum infinitam suam potestatem ac majestatem, quæ maxime eluet in opere colorum, se in divinis Scripturis habitare testatur in cœlis; sæpe etiam, quod res est, declarat nullam esse mundi partem, que non praesenti Dei natura et potestate comprehensa sit.

Tertia ratio. — Quanquam in hac cogitatione fideles non solum communis omnium parentis imaginem sibi proponent, sed etiam in cœlo regnantis Dei, ut oratrici meminerint, mentem animumque esse referendum ad cœlum, quantumque spei ad fiduciae affert eis Patris nomen, tantum christianæ humilitatis ac pietatis adjungat præstans illa natura ac divina majestas Patris nostri qui est in cœlis.

Quarta ratio. — Quæ verba præficiunt etiam orantibus, quid petendum sit: omnis enim postulatio nostra, quæ ad hujus vitæ usum ac necessitatem pertineat, nisi cum coelestibus sit conjuncta bonis, et ad illum finem dirigatur, inanis est et indigna christiano.

Nota. Quare monebunt pios auditores parochi de hac ratione preceptionis, et ad mentionem illa Apostoli auctoritate comprobabunt: *(a) Si con surrexisti cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

DE PRIMA PETITIONE.

SANCTIFICETUR NOMEN TUUM.

Quandonam recte ordinetur oratio.

I. Quid a Deo petendum, quove ordine id agendum sit, magister ipse ac Dominus omnium do-

(a) Coloss. 3, 1.